

DE RERVM NATVRA V

nam cupide fugere feras pacemque secuta  
sunt et larga suo sine pabula parta labore,  
quae damus utilitatis eorum praemia causa. 870

at quis nil horum tribuit natura, nec ipsa  
sponte sua possent ut vivere nec dare nobis  
utilitatem aliquam quare pateremur eorum  
praesidio nostro pasci genus esseque tutum,  
scilicet haec aliis praedae lucroque iacebant 875  
indupedita suis fatalibus omnia vinclis,  
donec ad interitum genus id natura redegit.

Sed neque Centauri fuerunt, nec tempore in ullo  
esse queunt duplici natura et corpore bino  
ex alienigenis membris compacta, potestas 880

hinc illinc par, vis ut sat par esse potissit.  
id licet hinc quamvis hebeti cognoscere corde.  
principio circum tribus actis impiger annis  
floret equus, puer haudquaquam; nam saepe etiam nunc  
ubera mammaram in somnis lactantia quaeret. 885

post ubi equum validae vires aetate senecta  
membraque deficiunt fugienti languida vita,  
tum demum puerili aevo florente iuventas  
occipit et molli vestit lanugine malas.  
ne forte ex homine et veterino semine equorum 890

confieri credas Centauros posse neque esse,  
aut rabidis canibus succinctas semimarinis  
corporibus Scyllas et cetera de genere horum,  
inter se quorum discordia membra videmus;  
quae neque florescunt pariter nec robora sumunt 895  
corporibus neque proiciunt aetate senecta  
nec simili Venere ardescunt nec moribus unis  
conveniunt, neque sunt eadem iucunda per artus.